


G

DE

GRAECORUM DIEBUS FESTIS

SCRIPSIT

DIDER. JAN. VAN STÉGEREN,

LIT. HUM. ET JUR. UTR. DOCT.

INSUNT:

DIPOLIA, CARNEA, APATURIA, CRONIA.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.
MDCCCXLIX.

DE DIPOLIIS.

Est vetus quaedam a Scholiastis et posterioribus Grammaticis oriunda opinio, Dipolia atque Diasia eosdem fuisse Atheniensium dies festos [1]), quod quam falsum sit, vel inde patet, quod et vario tempore et vario Jovi celebrabantur. Antequam igitur ad Dipolia transeamus, diligenter ab iis Diasia secernamus necesse est, ne confusio inter utrumque oriatur festum, quae plane diversa fuere natura.

De Diasiis quidem locupletissimus testis est Thucydides I, 126: *ἔστι γὰρ καὶ Ἀθηναίοις Διάσια ἃ καλεῖται, Διὸς ἑορτὴ Μειλιχίου μεγίστη ἔξω τῆς πόλεως, ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι πολλὰ οὐχ ἱερεῖα ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια;* ita enim locus difficillimus interpretatu cum Hermanno in Philologo anni 1847, p. 1 sqq. constituendus videtur, *πολλὰ* pro vulgari *πολλοὶ* legendo: nisi forte cum Hemsterhusio ad Lucian. V. I, p. 350 Bip. ex Polluce I, 26 pro ultimis quoque *οὐχ ἱερεῖα, ἁγνὰ δὲ θύματα ἐπιχώρια* legendum, quod Graecorum

---

1) Vidd. e. g. Schol. Aristoph. Nub. 408, 984 sq. Bekker, Anecd. Gr. I, p. 91. Suid. v. Διάσια et Διϊπόλια. Bachmann, Anecd. Gr. II, p. 329.

usus requirere videtur. Cf. praeter Intt. ad h. l. Dionys. Halic. Ant. Rom. I, 24, loco insigni. Frustra Thucydidi obloquitur Apollonius Acharnensis apud Schol. Aristoph. Nub. 408, Diasia a Jovis Meilichii cultu secernens. Est enim festum expiatorium, quod omnino ad Jovem Meilichium, ut vel ex ipso nomine apparet, pertinet [1]), unde etiam vox *Διάσια ἀπὸ τοῦ διαφυγεῖν αὐτοὺς εὐχαῖς τὰς ἄσας* derivatur [2]). Cui etymologiae etsi non magnopere, ut fas est, fidem habemus, ipsius tamen festi naturam bene explicat, quippe cum tristitia quadam et moerore celebrati [3]). Agebatur autem die 23 mensis Anthesterionis [4]), per plures, ut videtur, dies, ab universo, ut Thucydides l. l. dicit, populo et erat festum maximum. *Θύματα ἐπιχώρια* autem quid sit, dubitant Interpretes, partim cum Scholiasta per *πέμματα εἰς ζώων μορφὰς τετυπωμένα* explicantes, partim per fruges: mihi explicatio Schol. imprimis placet, cum et alibi in Jovis maxime cultu, ipsis adeo Athenis, eadem occurrant *πέμματα.* Sic e. g. Pausan. I, 26, 6 narrat ad introitum Erechthei esse aram Jovis maximi, cui nihil vivi sacrificatur, sed *πέμματα* ponunt, neque vino utuntur; et VIII, 2, 1, qui locus optime nostrum explicat: *ὁ μὲν γὰρ Δία τε ὠνόμασεν Ὕπατον πρῶτος, καὶ ὁπόσα ἔχει ψυχήν, τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι, πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν*

1) Cf. Muller ad Aeschyl. Eumenid. p. 139.

2) Schol. Aristoph. Nub. 408. Suid. et Etymol. M. v.

3) Schol. Lucian. Icarom. Cap. 24: *Διάσια ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν ἐπετέλουν μετά τινος στυγνότητος, θύοντες ἐν αὐτῇ Διὶ Μειλιχίῳ.* Cf. Hesych. v.

4) Schol. Aristoph. Nub. 408. Cf. Triclin. ad Sophocl. Electr. 149 Br.

ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι. Quocirca ἐπιχώρια quoque cum Goellero ad Thucyd. l. l. *secundum institutum et morem patrium* interpretor, licet ceteroquin in Jovis Meilichii cultu omnino victimae occurrant [1]). Ipsis autem Athenis Diasiorum festo nonnisi πέμματα ab omnibus oblata fuisse videntur.

Ad Meilichii quod attinet nomen, proleptice ut Eumenides ad expiationem et reconciliationem spectare videtur, prouti et alibi occurrunt θεοὶ μειλίχιοι, quibus noctu sacrificabatur Myoniae [2]), Ζεὺς Μειλίχιος Argis, cujus originem narrat Pausan. II, 20, 1; in fine autem addit quae rei naturam plane explicant: ὕστερον δὲ ἄλλα τε ἐπηγάγοντο καθάρσια, ὡς ἐπὶ αἵματι ἐμφυλίῳ, καὶ ἄγαλμα ἀνέθηκαν Μειλιχίου Διός [3]).

E Pseudo-Luciani Charidemi initio suspiceris certamina musica quoque in iis obtinuisse, quippe Androcles encomio Dioscurorum recitato in iis victoriam reportavit, et ideo Mercurio sacrificium ἐπινίκια obtulit, qua de re aliunde quod sciam non constat. Ex Aristophane autem festum maxime domesticum fuisse et ad familiam pertinuisse novimus, quippe apud quem in lepidissimo cum Socrate de fulguribus colloquio Strepsiades:

νὴ Δί', ἐγὼ γοῦν ἀτεχνῶς ἔπαθον τουτί ποτε Διασίοισιν.
ὀπτῶν γαστέρα τοῖς συγγενέσιν, κᾆτ' οὐκ ἔσχων ἀμελήσας·
ἡ δ' ἄρ' ἐφυσᾶτ', εἶτ' ἐξαίφνης διαλακήσασα πρὸς αὐτὼ
τὠφθαλμώ μου προσετίλησεν καὶ κατέκαυσεν τὸ πρόσωπον [4]).

1) Vid. e. g. Xenoph. Anab. VII, 8, 4, 5. Lucian. Timon. 7 ibique Intt.
2) Pausan. X, 38, 4.
3) Cff. Plut. Thes. Cap. 12. id. de cohib. ira C. 9. Eustath. ad Odyss. XXII, 481. 4) Aristoph. Nub. 408 sqq.

Et iterum, ubi in intimam nos vitam domesticam inducit, filio persuadens ut se ad Sophistarum *φροντιστήριον* sequatur, haec addit:

— — κἀγώ τοί ποτε
οἶδ' ἑξέτει σοι τραυλίσαντι πιθόμενος,
ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον 'Ηλιαστικὸν,
τούτου 'πριάμην σοι Διασίοις ἁμαξίδα [1]).

Nec fortuito omnino factum videtur ut hominem rusticum, simplicissimum, imprimis de his feriis antiquissimis, semirusticis loquentem iisque gaudentem faciat, quod ad ipsius festi naturam explicandam alicujus momenti esse videtur.

Ceterum apud Lucian. Icaromen. Cap. 24 Jupiter inter alia Menippum rogat, qui fiat ut Diasia jam per tot annos ab Atheniensibus sint intermissa; ex quo ea illo tempore celebrari desiisse jure efficias, eoque magis cum nonnisi apud solos Athenienses hi inveniantur dies festi.

Quominus autem de Diasiis plura dicamus, facit et hujus scriptionis propositum, quippe quae de Dipoliis potius agat, et vero accurata Hermanni jam laudata dissertatio de Diasiis et Jovis Meilichii cultu in Schneidewini Philologo Anni 1847 inde ab initio. —

Sic jam Diasiis sejunctis, de Dipoliis videamus et primum quidem de nomine, quod *Διπόλεια*, *Διιπολίεια* et *Διιπόλια* scriptum invenitur. Quod ad priorem vocis partem attinet, jure Grammaticus apud Bekker.

---

1) Ibid. 861.

Anecd. Gr. I, p. 91 animadvertit *Διπόλεια* esse formam Atticam, eadem ratione qua *Διισωτήριον* quoque dicebant Athenienses et Aristophanes *Διπολιώδη:* de terminatione autem Zonaras p. 525: *Διιπολεία· παρὰ τῷ Διὶ δοτικὴν γίνεται Διιπολεῖον καὶ διιπολεία. γράφεται δὲ διὰ τῆς ει διφθόγγου τῷ λόγῳ τῶν διὰ τοῦ ειον οὐδετέρων μονογενῶν.* Apud Aristoph. Pac. 420 *Διπόλεια* habetur, quae justa forma Attica esse videtur. Quidquid est, hoc constat, festum fuisse antiquissimum, quare injustus apud Aristoph. Nub. 984:

ἀρχαῖά γε καὶ Διπολιώδη καὶ τεττίγων ἀνάμεστα
καὶ Κηκείδου καὶ Βουφονίων.

Celebrabatur autem die 14 mensis Scirophorionis [1]) *Διὶ Πολιεῖ*, urbis vel potius arcis [2]) custodi [3]), et ut plurimi hujus mensis dies festi [4]) ad agriculturam maxime pertinet, in memoriam nempe, ut antiqui dicunt, *τῶν περὶ τῶν πελάνων καὶ τῶν βοῶν συμβάντων* [5]). Festum enim vel potius pars ejus *Βουφόνια* quoque dicebatur, quia cum antiquitus ceteris in sacris lege vetitum esset bovem *ἀρότην* sacrificare, hoc in *βουφο-*

1) Bekker Anecd. Gr. I, p. 238 et secundum eum Maetzner ad Antiphont. p. 170 narrat quidem festum actum fuisse die 16 hujus mensis, facile tamen erroris arguuntur unanimo auctorum mox citandorum consensu, eoque magis cum tota illa glossa, qua festum *Διιλία* quoque vocatur, sit permira.

2) Cf. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. 772; constat enim *πόλιν* ex Atticorum consuetudine esse saepius *ἀκρόπολιν.*

3) Cum sacris *Διὸς Σωτῆρος* ea conjuncta fuisse suspicatus est Hermannus, Lehrb. der Gottesd. Alterth. p. 323 N°. 15: sed *θυσία Διὶ Σωτῆρι* Athenis fiebat ultimo anni die. Cf. Lysias de Evandr. p. 790. De quaestione autem num *Ζεὺς σωτήρ* idem sit qui *ἐλευθέριος* vid. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. 1175.

4) Cf. Hermann. Handb. l. l. p. 318 sq.

5) Aristoph. Schol. Pac. 419. Hesych. v. *Διιπόλ.*

νίοις peculiari quadam ratione, ut mox pluribus videbimus, obtinebat. Magna enim, ut Varro de R. R. II, 5 dicit, majestas bovis: hic socius hominum in rustico opere, et Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt ut capite sanxerint, si quis occidisset; qua in re testis Attice, testis Peloponnesos. Nam ab hoc pecore Athenis Buzuges nobilitatus, Argis *ὀνόγυρος*. Quocum plane convenit, mortis poena excepta, Aelian. V. H. V, 14 ad quem locum Cff. Intt. et Cic. de Nat. Deor. II, 63 [1]).

Qualis jam festi fuerit origo et quid in eo obtinuerit, optime patet ex descriptione Porphyrii, cujus aetate adhuc agebatur. Ita autem rem exponit: antiquitus cum fructus homines diis offerrent, animalia autem neque sacrificarent neque in cibum sumerent, dum publicum quoddam sacrum Athenis celebraretur, Diomum quendam aut Sopatrum ferunt qui indigena quidem non erat sed agros in Attica colebat, quia bos ab opere accedens ad mensam ubi sacra puls et cetera libamina reposita erant ut sacrificarentur, alia ex ipsis comederat, alia conculcarat, indignatum accurrisse atque a vicino arrepta securi quae forte acuebatur, bestiam percussisse; cumque bos ex vulnere interiisset et ipse ira jam sedata animadvertisset quale scelus perpetrasset, bove sepulturae mandato ipsum ajunt voluntario exilio suscepto ob impietatis crimen in Cretam fugisse. Cum vero siccitas atque inde frugum sterilitas maxima Atticam invasisset, pu-

---

1) Cff. porro hac de re Creuzer, Symbol. edit. 2da Vol. IV, p. 121 sqq. et Hermann, l. l. p. 120, N°. 20, et p. 323, 16.

blice oraculum consulendum statuerunt. Pythia respondit, exulem qui in Creta esset, ea expiaturum: si et interfectorem punivissent et mortuum suscitassent in eodem adipe in quo mortuus fuerat [1]): id quod erat futurum si et ex mortuo degustassent et non obtinuissent. Habita igitur hac de re inquisitione et invento Sopatro, is cum se ab eo scelere liberatum iri existimaret, si id publice omnes agerent, ad eos qui ipsum reducendum venerant, interficiendum esse bovem a civitate dixit: cumque illi dubitarent, quisnam esset futurus, qui pecudi vulnus inferret, se id facturum pollicitus est, si civitate donaretur, ita ut participes caedis etiam ipsi efficerentur. Quod ubi concessum fuit, reversi in urbem, rem ita instituerunt quemadmodum nunc quoque apud ipsos observatur.

Aquatrices virgines elegerunt, quae aquam eis ferrent qui securim et cultrum acuerent. Acuta securi et cultro, alter securim porrexit, alter ea accepta bovem percussit, alius vero jugulavit. Cumque eum excoriassent, ex ejus carnibus omnes epulati sunt. Postea vero corio consuto ac foeno et paleis farto bovem suscitarunt ea forma qua erat cum viveret, eique aratrum quasi operanti applicuerunt. Quod ubi factum est, in judicium caedis omnes convocaverunt, qui actionis ejus participes fuerant: cum vero aquatrices in eos qui acuerant, qui acuerant in eum qui securim tradiderat, is in eum qui jugularat; jugulator

1) Verba graeca: τόν τε φονέα τιμωρησαμένων, καὶ τὸν τεθνεῶτα ἀναστησάντων, ἐν ᾗπερ ἀπέθανεν σιάλῳ δν ἔσεσθαι manifesto sunt corrupta, et Oedipo opus est ad explicandum oraculum τοῦ λοξίου. Fortasse ἀλωὴν ἔσεσθαι legendum.

νίοις peculiari quadam ration' ... ꞌui voce care-
debimus, obtinebat. Magna ... eo tempore
II, 5 dicit, majestas bo' ... modo bo'·
rustico opere, et Cere ... ›is in ?
manus ita abstineri v ... ıgit?
quis occidisset; qu' ... ır
ponnesos. Nam ?'
bilitatus, Argis
mortis poena ... ϱοι,
locum Cff. ... ˌυatur. Ubı

Qualis ... ˌntum est, cultrum ıı
optime ... ‚ι [1]).
adhuc ... in iis diebus festis peragebant
tus ... ‚arrat porro Hesych. v. *Βούτης*, *Βου-*
aᵛ ... fuisse, qui in Dipoliis Buphonia peragebat,
fortasse ad eosdem hos *Βουτύπους* est referen-
dum: Suidas vero et Schol. Aristoph. Nub. 985 ex
Androtione narrant, eum qui bovem mactabat, dictum
fuisse *Θαύλωνα*, quocum consentit Schol. Homeri, di-
cens Thaulonem quendam in exilium ejectum primum
Athenis bovem mactasse [2]).

Multos autem in hoc festo boves fuisse sacrificatos dicit Etymol. M. v. *Βουφόνια*, unde in Scholio regio ad Aristoph. Nub. 985 *πολυτελής* vocatur *ἑορτή* [3]).

---

1) Porphyr. de Abstin. II, 29 seqq. Paulo aliter originem rei narrat II, 10. Cff. omnino Pausan. I, 24, 4 et 28, 11. Aelian. V. H. VIII, 3 et Lexicographi v. Βουφόνια. De ipso autem περὶ τῶν ἀψύχων apud Athenienses judicio nota omnia: Cff. si tanti, auctt. apud Petitum, Legg. Att. p. 627 sq.

2) Suid. v. Θαύλων. Schol. Hom. Iliad. Σ, 483, p. 506 Bekker. Cf. Hermann. l. l. p. 323, Nª. 20.

3) Vid. Dindorfii ad h. l. adnotatio.

Quid autem festum po… relligere … uti C … : st

ia exercitum invasit et Hippotes
lium abiit, unde Doribus insti-
item placarent [1]).
te Pausania [2]) peculiarem
communi Doriensium di-
iam ante Heraclidarum
Spartam inhabitabant,
lii vatis. Qui Spar-
ne temporibus a
r, quippe idem
ωνος Καρνείου
ονίων νομί-

…e 1…
φονια fuerunt
sacrum vitulum
quebantur et in fugam
Deliorum mensis Βουφονι…
conveniens [3]), de quibus tam
silentium plura non novimus.

mensis
αγειτ-
qui

---

1) Symbol. IV, p. 125.

2) Aelian. Hist. Anim. XII, 34. Cf. Lobeck Aglaoph. p. 67…

3) Hermann, Monatsk. p. 50. Referenda huc quoque sacra apu… dum, Rhodi oppidum, facta Herculi, ubi βοῦς ἀρότης Ἡρακλεῖ θύεται. κατάρχονται δὲ ἐπαρώμενα, οἷα οἶμαι ὁ γεωργὸς τότε. Philostr. Imag. II, 24. Cff. Lactant. inst. Christ. I, 21, 31. Zenob. prov. IV, 95 et Heffter die Götterdienste auf Rhodus im Alterthume I, p. 5 sqq.

in cultrum crimen rejecisset, cultrum qui voce carebat, caedis condemnarunt. Atque ex eo tempore hucusque in Dipoliis Athenis in arce hoc modo bovis sacrificium celebrant. Pulte enim et libis in aenea mensa collocatis depascentes boves circumagitant, ex quibus qui e mensa degustarit, eum mactant: et familiae eorum qui haec faciunt, nunc etiam sunt, a Sopatro qui vulneravit *Βούτυποι* dicti, ab eo qui circumagitavit *Κεντριάδαι*, a jugulatore *Δαιτροί*, ex epulo quod ex carnium divisione constituebatur. Ubi vero corio jam referto in judicium ventum est, cultrum in mare projectum demergunt [1].

De his qui sacra in iis diebus festis peragebant sacerdotibus, narrat porro Hesych. v. *Βούτης*, *Βούτην* dictum fuisse, qui in Dipoliis Buphonia peragebat, quod fortasse ad eosdem hos *Βουτύπους* est referendum: Suidas vero et Schol. Aristoph. Nub. 985 ex Androtione narrant, eum qui bovem mactabat, dictum fuisse *Θαύλωνα*, quocum consentit Schol. Homeri, dicens Thaulonem quendam in exilium ejectum primum Athenis bovem mactasse [2].

Multos autem in hoc festo boves fuisse sacrificatos dicit Etymol. M. v. *Βουφόνια*, unde in Scholio regio ad Aristoph. Nub. 985 *πολυτελὴς* vocatur *ἑορτή* [3].

---

1) Porphyr. de Abstin. II, 29 seqq. Paulo aliter originem rei narrat II, 10. Cff. omnino Pausan. I, 24, 4 et 28, 11. Aelian. V. H. VIII, 3 et Lexicographi v. Βουφόνια. De ipso autem *περὶ τῶν ἀψύχων* apud Athenienses judicio nota omnia: Cff. si tanti, auctt. apud Petitum, Legg. Att. p. 627 sq.

2) Suid. v. *Θαύλων*. Schol. Hom. Iliad. Σ, 483, p. 506 Bekker. Cf. Hermann. l. l. p. 323, Na. 20.

3) Vid. Dindorfii ad h. l. adnotatio.

Quid autem sit, quod Suidas et Schol. Aristophanis festum post mysteria celebratum dicunt, me non intelligere fateor: certe non sunt Eleusinia mysteria, prouti Creuzerus [1]) interpretatur. Cum vero uterque φασί suae addant narrationi, hoc fortasse non nimis urgendum.

Nec Athenis tantum, sed et alibi in Graecia *Βουφόνια* celebrabantur. Disertis verbis hoc narrat Aelianus de Dionysiis in insula Tenedo, quibuscum *Βουφόνια* fuerunt conjuncta, in quibus eum, qui Baccho sacrum vitulum securi percussisset, lapidibus persequebantur et in fugam conjiciebant [2]). Eodem pertinet Deliorum mensis *Βουφονιών*, Atticorum *Μεταγειτνιῶνι* conveniens [3]), de quibus tamen propter antiquorum silentium plura non novimus.

---

1) Symbol. IV, p. 125.

2) Aelian. Hist. Anim. XII, 34. Cf. Lobeck Aglaoph. p. 677.

3) Hermann, Monatsk. p. 50. Referenda huc quoque sacra apud Lindum, Rhodi oppidum, facta Herculi, ubi *βοῦς ἀρότης Ἡρακλεῖ θύεται, κατάρχονται δὲ ἐπαρώμενοι, οἷα οἶμαι ὁ γεωργὸς τότε.* Philostr. Imag. II, 24. Cff. Lactant. inst. Christ. I, 21, 31. Zenob. prov. IV, 95 et Heffter die Götterdienste auf Rhodus im Alterthume I, p. 5 sqq.

DE CARNEIS.

Inter Spartanorum dies festos maximos et qui imprimis ipsius populi referant indolem, haud ultimum locum sibi vindicant Carnea, non tantum Spartanis illa propria, verum omnibus Doribus communia [1]). Festum fuit valde antiquum, de cujus tamen origine, ut de multarum aliarum feriarum, propter ipsam hanc antiquitatem, parum constat. Varia hac de re narrant tum Schol. Theocr. V, 83, tum Pausan. III, 13, 3, e quibus tamen maxime verosimile videtur, Carnea originem duxisse ab Heraclidarum reditu et fortasse in hujus rei memoriam fuisse instituta; tum quia, ut jam vidimus, omnibus Doribus fuere communia, tum maxime quoque ideo, quod, ut deinde pluribus explicabimus, vitam militarem plane referebant. Nomen habere dicuntur a Carno quodam vate, Acarnania oriundo, Heraclidis ex Apolline vaticinante, qui cum ab Hippote, Phylantis filio [2]), esset interfectus, ira

---

1) Pausan. III, 13, 3. Thucyd. V, 54: Καρνεῖος δ' ἦν μήν, ἱερομήνια Δωριεῦσι, ibique Intt.

2) Secundum Schol. Callim. Hymn. in Apoll. 71 ab Alete, qui inter

Apollinis et pestilentia exercitum invasit et Hippotes propter caedem in exilium abiït, unde Doribus institutum ut Acarnensem vatem placarent [1]).

Spartani autem, narrante Pausania [2]) peculiarem suum habuere *Καρνεῖον*, a communi Doriensium diversum, *Οἰκέταν* dictum, qui jam ante Heraclidarum reditum, cum Achaei etiam tum Spartam inhabitabant, colebatur in domo Crii Theoclis filii vatis. Qui Spartanus Carneus posterioribus quoque temporibus a Doriensium diversus mansisse videtur, quippe idem Pausanias narrat Leuctris esse *'Απόλλωνος Καρνείου ξόανα κατὰ ταὐτά, καθὰ δὴ καὶ Λακεδαιμονίων νομίζουσιν οἱ Σπάρτην ἔχοντες* [3]).

Dies autem hi festi agebantur quotannis [4]) mensis Spartanorum *Καρνείου* h. e. Atheniensium *Μεταγειτνιῶνος*, nostri fere Augusti die septimo et octo qui

---

Heraclidas fuit, est interfectus. Idem, ut videtur, Aletes, occurrit apud Pausan. II, 4, 3: —— *Δωριεῖς στρατεύουσιν ἐπὶ Κόρινθον· ἡγεῖτο δὲ 'Αλήτης 'Ιππότου τοῦ Φύλαντος τοῦ 'Αντιόχου τοῦ 'Ηρακλέους.* Cff. auctt. apud Hermann, Staatsalterth. p. 51, N°. 9.

1) Pausan. III, 13, 3. Schol. Theocr. V, 83. Apollod. II, 8, 3, ibique Heyn. qui eadem fere, aliis narrationibus mixta, habent. Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 313 Pausaniae adsentitur, pro *Κράνειον* esse dictum. Macrob. Saturn. I, 17 adeo Apollinem *Καρνεῖον* esse dictum affirmat *ὅτι καιόμενος ὁρᾶται νέος*! Alia de nominis origine a *κείρειν* etc. vidd. apud Hermann, Lehrb. der Gottesd. Alterth. p. 270. N°. 31. Cum vero hic cultus Thebis et Phoenicia, ut videbimus, sit oriundus, frustra Graecam etymologiam quaeras.

2) Pausan. III, 13, 2, 3.

3) Pausan. III, 26, 3. Cf. contra ibid. § 6: *'Απόλλων ἐστὶ Καρνεῖος, καθὰ Δωριεῦσιν ἐπιχώριον*: Boeckh. Corp. Inscr. N°. 1446 et auctt. apud Hermann. l. l. p. 269, Nª. 14. Ad quem Carneum pertinent fortasse, magna saltem ex parte, sacerdotes qui jam ante Heraclidarum reditum memorantur, et regnasse adeo Sicyonae dicuntur apud Syncell. p. 97 et 152 et Euseb. I, p. 19 et 27. Cff. Euseb. Scalig. p. 75, Marsham, Can. Chron. p. 336 et du Theil in Mémoires de l'Académ. des Inscript. Vol. 39, p. 192 sq.

4) Callim. Hymn. in Apoll. vs. 78.

Eustathius quidem l. l. dicit auctorem, quem ex Athenaeo esse Demetrium Scepsium novimus, ideo noveno numero esse usum, quippe quo et Homerus in festis delectetur [1]: at vero prouti novem illarum *ἑδρῶν* apud Homerum probabilis causa reddi potest, quod Nestor Iliad. II, 591 sqq. novem urbibus imperat, sic quoque novem illi apud Spartanos *τόποι* in antiqua quadam populi divisione fundamentum habere videntur, quo fortasse quoque referendum, quod apud Plutarch. Lycurg. 8 *ἐννακισχίλιοι κλῆροι* Spartanorum ipsorum memorantur.

Convivia in iis obtinuisse, cum plurimis omnino sacris conjuncta, jam ex Athenaei loco vidimus, et militarem plane rationem fuisse observatam, vel e verbis *πάντα ἀπὸ προςτάγματος κηρύσσεται*, satis patet. Deinde vero, corruptis moribus, ab illa antiqua severitate hac quoque in re Spartanos descivisse, ex sequentibus Athenaei verbis intelligitur.

Quid autem praeterea his diebus festis locum habuerit, maxime patet e Callimachi versibus, l. l. vs. 78 sqq.:

— — *πολλοὶ*
Ὑστάτιον πίπτουσιν ἐπ' ἰσχίον, ὦ ἄνα, ταῦροι [2].
Ἰὴ, ἰὴ, Καρνεῖε πολύλλιτε, σεῖο δὲ βωμοὶ
Ἄνθεα μὲν φορέουσιν ἐν εἴαρι, τόσσά περ ὧραι
Ποικίλ' ἀγινεῦσι ζεφύρου πνείοντος ἐέρσην,
Χείματι δὲ κρόκον ἡδύν· ἀεὶ δέ τοι ἀέναον πῦρ,
Οὐδέ ποτε χθιζὸν περιβόσκεται ἄνθρακα τέφρη.
Ἦ ῥ' ἐχάρη μέγα Φοῖβος, ὅτε ζωστῆρες Ἐνυοῦς
Ἀνέρες ὠρχήσαντο μετὰ ξανθῇσι Λιβύσσης,
Τέθμιαι εὖτέ σφιν Καρνειάδες ἤλυθον ὧραι.

1) Cf. Homer. Il. XXIV, 784 sq.
2) Cf. Pindar. Pyth. V, 72, ubi Carnea *πολύθυτον ἔρανον* vocat.

Quo loco denuo ζωστῆρες Ἐνυοῦς ἀνέρες militiam spectant, et saltantes feminae liberiorem Doriensium quam Ionum hac in re referunt vivendi rationem [1]). Pompae porro habebantur solemnes, prouti cum curribus adeo occurrunt apud Pindar. Pyth. V, 85:

κτίσεν δ' ἄλσεα μείζονα θεῶν,
εὐθύτομόν τε κατέθηκεν Ἀπολλωνίαις
ἀλεξιμβρότοις πεδιάδα πομπαῖς
ἔμμεν ἱππόκροτον
σκυρωτὰν ὁδόν.

Pertinent quidem haec omnia ad festum Cyrenae celebratum, sed nec Spartae aliter fuisse, vel inde patet, quod nulla alia in re firmius atque tenacius antiquae coloniae μητροπόλεως servabant morem, quam in similibus celebrandis sacris. Cultus autem Apollinis Carnei, ut mox pluribus videbimus, Sparta Theram, inde autem a Batto Cyrenen est translatus.

Alterum, quod in Spartanorum republica cum militia semper fuit conjunctum [2]), et hic deprehendimus, musicam nempe, de qua secundum Sosibium apud Athen. XIV, 37 inde ab Olymp. 26 in iis certamina habebantur, et Terpander primus victoriam reportasse dicitur. Cum vero constare videatur, Terpandrum jam ante Olymp. 20 floruisse [3]), antiquioribus etiam temporibus, si vera est narratio, musica certamina in iis obtinuerint necesse est. Alii qui in iis certaverunt

1) Cf. Plutarch. Lycurg. 14.

2) Cf. ibid. 21 et 22.

3) Cff. auctt. apud Manso, l. l. p. 217. Hermann. l. l. p. 270, Na. 29, Bode, Gesch. der Hellen. Dichtk. locis in ind. v. Terpandros. Wachsmuth, Hellen. Alterthumsk. Edit. 2da, V. I, p. 468 sq.

musici memorantur Periclitus citharoedus [1]), Timotheus, cui cum innovare conaretur, nimias chordas Ephori resecuerunt [2]), et Aristophanis temporibus Execestides *κιθαρῳδὸς Πυθιονίκης*, qui praemium in iis reportavit [3]). Hellanicus autem adeo *Καρνεονίκας* edidit, ut Pindarus *'Ολυμπιονίκας*, h. e. carmine recensuit vel laudavit eos, qui in Carneis vicissent [4]). Pertinent huc quoque Euripidis versus modo laudati, in quibus peculiare quid de Alcestidis laudibus respici, quod poëtae aetate in iis obtinuerit, mihi non est dubium; quod quale fuerit, propter tempora remota certo definire non amplius valemus.

Alius praeterea mos in iis habebatur, qui ex Bekkeri Anecd. Gr. V. I, p. 305 nobis innotuit, secundum quem aliquis coronatus currebat, bona et fausta urbi precans, et juvenes eum sequebantur, *σταφυλοδρόμοι* dicti, qui si eum deprehenderent, boni quid urbi exspectabant secundum morem patrium; si vero minus contrarium [5]). *Σταφυλοδρόμοι* hi similiter apud Hesychium occurrunt V. II, p. 1260: *τινὲς τῶν Καρνεατῶν παρορμῶντες τοὺς ἐπὶ τρύγῃ*, quae jure Hermann, l. l. p. 270, N°. 30 ad instituta rustica, incipienti vindemiae convenientia, referre videtur.

Sacra in Carneis faciebat sacerdos *ἀγητὴς* dictus, unde festum ipsum quoque, teste Hesychio, *ἀγητορία* vocabatur [6]), et peculiaris cura eorum tamquam

---

1) Plutarch. de Musica, Cap. VI. Cf. Bode, l. l. V. II, 2, p. 367.
2) Plutarch. instit. Lacon. Cap. 17. Cf. auctt. apud Bode, l. l. II, 2, p. 326.
3) Schol. Aristoph. Av. 11.
4) Hellan. apud Athen. XIV, 37. Cf. Sturz, Hellan. fragm. p. 83.
5) Cf. Boeckh, Corp. Inscript. I, N°. 1387 et 88.
6) Hesych. V. I, p. 47 v. *ἀγητόρειον*. Cf. Theopomp. apud Schol.

λειτουργία mandata erat quinqueviris coelibibus ex singulis tribubus sorte ductis, *Καρνεᾶται* dictis, qui per quadriennium munere fungebantur [1]). Therae sacerdotium Apollinis Carnei ad unam familiam hereditario jure pertinebat, quippe in inscriptione apud Spon. Miscell. p. 342 occurrit Admetus, Theoclidis filius, hereditarius hujus dei sacerdos, qui a populo ob varias virtutes inter Heroas est relatus.

Quanto studio quantaque religione hi dies festi a Spartanis agerentur, maxime inde patet, quod in medio bello, licet urgente periculo, cum Carnea instarent, semper ad ea celebranda domum redibant, et post ferias demum expeditionem suscipiebant. Sic e. g. Herodotus narrat, appropinquante Xerxe: *μετὰ δὲ — Κάρνεια γάρ σφι ἦν ἐμποδὼν, — ἔμελλον ὁρτάσαντες καὶ φυλακὰς λιπόντες ἐν τῇ Σπάρτῃ, κατὰ τάχος βοηθήσειν πανδημεί* [2]), et belli Peloponnesiaci temporibus saepius Thucydides eos in media expeditione socios dimisisse et ad dies festos celebrandos domum rediisse narrat [3]).

Nec Spartae tantum, ut jam verbo monuimus, Carnea celebrabantur, sed erant omnibus Doribus communia, imprimis in Peloponneso: vestigia eorum invenimus Gythei, Messenae, Cardamulae, Leuctris, Sicyonae, Argis, Byzantii, Syracusis, Tauromenii,

---

Theocr. V, 83: *ὅτι τὸν αὐτὸν καὶ Δία καὶ Ἡγήτορα καλοῦσιν Ἀργεῖοι, διὰ τὸ Κάρνον ἡγήσασθαι τοῦ στρατοῦ*; et Xenophon (?) de Rep. Laced. 13, 2. Spartanos ante expeditionem Jovi *Ἀγήτορι* sacrificare narrans.

1) Hesych. v. *Καρνεᾶται*, V. II, p. 151.

2) Herod. VII, 206.

3) Thucyd. V, 54, 75 et 76.

Sybari [1]), omnium autem maxime juxta Spartam Cyrenae, quo cultus Apollinis Carnei per coloniam Thera est deductus, unde Callim. l. l. vs. 72:

Σπάρτη τοι, Καρνεῖε, τόδε πρώτιστον ἔδεθλον,
Δεύτερον αὖ Θήρη, τρίτατόν γε μὲν ἄστυ Κυρήνης.
'Εκ μέν σε Σπάρτης ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο
"Ηγαγε Θηραίην ἐς ἀπόκτισιν· ἐκ δέ σε Θήρης
Οὖλος 'Αριστοτέλης 'Ασβυστίδι πάρθετο γαίῃ·
Δεῖμε δέ τοι μάλα καλὸν ἀνάκτορον· ἐν δὲ πόληϊ
Θῆκε τελεσφορίην ἐπετήσιον — —

Ad quem locum Cff. Schol. et Spanheim. Ex hoc autem loco, cum Pindar. Pyth. V, 75 sqq. conjuncto, patet imprimis ab Aegidis hunc cultum per Graeciam et colonias fuisse propagatum [2]), Thebis et per has ex Phoenicia et oriente, ut videtur, oriundum, prouti de aliis item cultibus et religionibus eodem modo rem sese habuisse, satis constat [3]).

---

1) Vid. e. g. Pausan. III, 21, 7. 24, 5. 26, 8 et 5. II, 10, 2. 11, 2. IV, 33, 5. Theocr. V, 83 ibique Schol. Cf. Excerpta e Papia in Schneidewini Philologo A[i]. 1847, N°. II, p. 246 sqq.

2) Cf. Muller, Orchom. p. 327, et Berichte üb. d. Sächs-Gesellsch. d. Wissensch. in Leipz. 1847. VI, p. 224 sqq.

3) Cf. Wachsmuth, l. l. V. II, p. 471, et Eurip. Phoeniss. vs. 214 et 280 sqq. ibique Intt.

DE APATURIIS.

Ut Carnea omnibus Doribus, ita Apaturia Ionibus fuere communia, quod disertis verbis testatur Herodotus, loco memorabili I, 147: *εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηνῶν γεγόνασι καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ὁρτήν. ἄγουσι δὲ πάντες πλὴν Ἐφεσίων καὶ Κολοφωνίων· οὗτοι γὰρ μοῦνοι Ἰώνων οὐκ ἄγουσι Ἀπατούρια, καὶ οὗτοι κατὰ φόνον τινὰ σκῆψιν* [1]). Quae licet invidiose tangat Plutarchus, qui fertur, de Herod. malignit. Cap. 19, vel sic tamen nec rem negat, et revera Apaturia celebrata invenimus apud Samios [2]), Chios [3]), Cyzicenos, Milesiorum colonos, quibus, ut Teniis, mensis erat *Ἀπατουριών*: ad Phanagoriae incolas eam religionem esse delatam aliunde scimus; ab Chalcidensibus autem, Atheniensium colonis, a quibus Cymaei conditi sunt, non abfuisse, etiam phratriae Neapolitanorum probant, qui a Cymaeis sunt deducti [4]).

---

1) Cf Biblioth. Coisl. p. 605.
2) Herod. quae dicitur, vita Homer. Cap. 29.
3) Suid. v. Ὅμηρ.
4) Meier, de Gentilit. Attica, p. 12. Cff. Strabo, XI, 495, Boeckh., Prooem. ad indic. Schol. 1834, p. 7. Corp. Inscript. N°. 2330 et 2333. Hermann, Monatsk. p. 80, ubi ex mensis Φρατρίου apud Cymaeos nomine ad simile festum concluditur.

Quod ad originem et nomen Apaturiorum pertinet, multa antiqui narrant de pugna quadam Athenienses inter et Boeotos de finibus, qua Melanthus sive Melanthius, Atheniensium rex, a Baccho Melanaegide vel a Jove *ἀπατηνορίῳ* adjutus, Xanthum sive Xanthium, Thebanorum regem, fraude, *ἀπάτῃ* conversum in certamine singulari interfecerit [1]. Quae tamen fabula, ut multae aliae, potius ad vocabuli etymon explicandum ficta esse videtur. Fieri quidem potest, ut Athenienses, talium rerum amantes, in memoriam similis victoriae, his potissimum diebus sacra et ritus, de quibus mox pluribus videbimus, instituerint, ut ita proavorum gloriam et bonum aliquod omen cum inductione in *φρατρίας* et initio ideo vitae politicae conjungerent [2]; ipsum vero nomen longe verosimilius, ut jam nonnulli antiqui et inter recentiores Welckerus, Boeckhius, Muellerus, Hermannus, Meierus fecerunt [3], ex *ᾱ* „simul," ut in *ἄκοιτις*, *ἄλοχος*, et *πατὴρ* vel *πάτρα* derivatur, ut sint quasi *ὁμοπατούρια*, quod iis solemnibus patres vel potius phratriae convenirent liberorum inscribendorum et in phratrias recipiendorum causa, qui princeps et gravissimus, ut deinceps videbimus, in iis fuit actus.

Agebantur hi dies festi Jovi Phratrio, Minervae

---

1) Vidd. Schol. ad Platon. Timaeum, p. 21 B. Harpocrat. v. Ἀπατούρ. Etymol. M. v. Polyaen. Strateg. I, 19. Bachmann, Anecd. Gr. p. 112. Bekker, Anecd. Gr. I, p. 416, 417. Suid. v. Ἀπατούρ. Conon apud Phot. Biblioth. p. 280, 12. ed. Hoesch. Schol. Aristoph. Pac. v. 890. Schol. Platon. p. 49 et 201 ed. Ruhnk. Cf. Meier. l. l.

2) Cf. Platner, Beiträge zur kenntn. des Attisch. Rechts, p. 151.

3) Cff. auctt. apud Meier, l. l. et Hermann, Lehrb. der Gottesdienstl. Alterth. der Gr., p, 295, Na. 28. Welcker, Rheinisch. Museum, Ai. 1818, 3tes Hefft, p. 448 sqq.

et Baccho Melanaegidi, qui, Athenis saltem, in memoriam fortasse pugnae jam memoratae, iis fuit adjunctus; maxime autem omnium Jovi Phratrio, quippe cui tertio die imprimis sacra fierent. Minerva autem et Venus Apaturia aliis praeterea occurrunt locis, cum simili de fraude commissa fabula conjunctae, ut quam de insula Hiera antea Sphaeria dicta, narrat Pausan. II, 33, 1, et de Venere Phanagoriae Strabo XI, 495, quocum Cf. Stephan. de Urb. v. *Ἀπάτουρον* et Bibl. Coisl. l. l. Apud auctorem vitae Homeri l. l. iis adjungitur praeterea Dea *κουροτρόφος*, cui feminae solae sacra faciebant in trivio, quam Cererem fuisse, non est quod dubitemus, quippe quae *κατ' ἐξοχὴν* hoc nomine diceretur, licet et aliae eo gauderent.

Quamvis autem festum fuerit, teste Schol. Aristoph. Acharn. 146: *ἐπίσημος δημοτελής*, vel sic tamen, Xenophontis saltem aetate, *ἐκκλησία* et *βουλὴ* in eo habebatur, ut patere videtur ex ejus narratione Hellenic. I, 7. 8: *μετὰ δὲ ταῦτα ἐγένετο Ἀπατούρια, ἐν οἷς οἵ τε πατέρες* (l. *φράτορες*) *καὶ οἱ ξυγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς· οἱ οὖν περὶ τὸν Θηραμένην παρεσκεύασαν ἀνθρώπους μέλανα ἱμάτια ἔχοντας καὶ ἐν χρῷ κεκαρμένους πολλοὺς ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ, ἵνα πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἥκοιεν, ὡς δὴ ξυγγενεῖς ὄντες τῶν ἀπολωλότων, καὶ Καλλίξενον ἔπεισαν ἐν τῇ βουλῇ κατηγορεῖν τῶν στρατηγῶν.* Singulari adeo Senatusconsulto opus fuit, ut Senatui Apaturiorum causa quinque dierum vacatio esset, quod nobis servavit Athen. IV, 71: *ἐπὶ Κηφισοδώρου ἄρχοντος Φῶκος εἶπεν· ὅπως ἂν ἡ βουλὴ ἄγῃ τὰ Ἀπατούρια μετὰ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων κατὰ τὰ πάτρια, ἐψηφίσθαι τῇ βουλῇ, ἀφεῖσθαι τοὺς βουλευτὰς τὰς ἡμέ-*

ρας, ἅςπερ καὶ αἱ ἄλλαι βουλαὶ αἱ ἀφεταὶ [1], *ἀπὸ τῆς ἡμέρας, ἧς οἱ προτένθαι ἄγουσι πέντε ἡμέρας* [2]. Haec autem omnia, reliquis diebus festis contraria, in quibus plane *ἱερομηνία*, justitium cet. obtinebat, fortasse inde explicanda, quod Apaturia, licet publica, quatenus ad institutionem et jura civitatis pertinebant, ipsa tamen natura potius ad familias et gentes spectabant et domesticam referebant rationem. Nisi potius contra Meieri l. l. explicationem locus Xenophontis pertinet ad *ἐκκλησίαν* quae in sequentibus memoratur, § 9: *ἐντεῦθεν ἐκκλησίαν ἐποίουν, ἐς ἣν ἡ βουλὴ ἐςήνεγκε τὴν ἑαυτῆς γνώμην:* et psephisma apud Athenaeum ad dierum tantum numerum immutatum; quod magis mihi placet et Graecorum melius convenit rationi.

Celebrabantur autem hi dies festi mense Pyanepsione, incertum quibus diebus, per triduum [3], quibus accedebat, ut in pluribus aliis, quartus *ἔπιβδα* [4], unde variae antiquorum inter tres et quatuor dies fluctuantium, explicandae sententiae. In Senatusconsulto laudato quinque adeo memorantur dies, quod

---

1) *διαφεῖνται* legendum videtur.

2) Cff. de hoc psephismate Intt. ad h. l. et Meier, l. l. p. 12. De *προτένθαις* autem tum Athen. Cap. laud., tum Schol. Aristoph. Nub. 1199.

3) Schol. Aristoph. Acharn. 146: *λέγει δὲ νῦν περὶ Ἀπατουρίων, ἑορτῆς ἐπισήμου δημοτελοῦς, ἀγομένης παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις κατὰ τὸν Πυανεψιῶνα μῆνα ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας· καλοῦσι δὲ τὴν μὲν πρώτην δόρπειαν, ἐπειδὴ φράτορες ὀψίας συνελθόντες εὐωχοῦντο, τὴν δὲ δευτέραν ἀνάρρυσιν, ἀπὸ τοῦ ἀναρρύειν τοῦ θύειν, ἔθυον δὲ Διὶ φρατρίῳ καὶ Ἀθηνᾷ· τὴν δὲ τρίτην κουρεῶτιν ἀπὸ τοῦ τοὺς κούρους καὶ τὰς κόρας ἐγγράφειν εἰς τὰς φρατρίας.* Cff. Schol. Platon. Timaeo p. 21. Theophr. Charact. Cap. 3. Hesych., Harpocrat., Suid. v. Pollux, VI, 102. Simplic. ad Aristot. Physic. IV, p. 167 a. Zonar. v. Biblioth. Coisl. l. l., Schol. Aristoph. Pac. 890.

4) Cf. nota superior et Hermann, l. l. p. 295, Na. 29. De *ἐπίβδαις* autem ipsis Ruhnken. ad Tim. Lex. v. *ἐπίβδ.*

ad praeparationem, ut in Mysteriis, Thesmophoriis, similibus, pertinere videtur, quibus pari ratione dies *προπαρασκευαστικός* vel plures adeo accedebant, maxime apud Athenienses religiosos et harum rerum diligentes. Quid tribus hisce diebus, quibus proprie festum constabat, ageretur, universe optime patet ex loco Aristoph. Schol. ad Acharn. supra laud. De singulis pluribus videamus. Primo igitur die *Δορπία* vel *Δόρπεια* dicto [1]), quia ejus vespera phratores convivandi causa conveniebant, *εὐωχοῦντο*, quod vocabulum hac in re est solemne, et testatur Schol. Aristoph. l. l. Ad quas curialium dapes referenda loca Aristoph. Thesmoph. 558:

τὰ κρέ' ἐξ 'Απατουρίων ταῖς μαστροποῖς διδοῦσαι,

et Acharn. 146:

ἤρα φαγεῖν ἀλλᾶντας ἐξ 'Απατουρίων.

Sami quoque, cum Homerus Apaturiorum diebus adesset, a phratria ad coenam vocabatur [2]): memorantur adeo peculiares ministri, qui vino, lucernis similibus in his curialium conviviis prospicerent, quos *ἀρχὴν* vocant Athen. X, 25 et Phot. v. *οἰνόπται*. Quae omnia cum Meiero, l. l. p. 13 ad primum Apaturiorum diem optime referas, licet ceteris quoque diebus, tertio maxime, curialium dapes celebrarentur, ad quas canes afferre interdictum fuisse ex antiquo novimus proverbio [3]).

---

1) Utrumque enim invenitur. Cff. loca pag. 22 Na. 3 allata.

2) Herodot. qui dicitur, vita Homeri, Cap. 29. Cff. Alciphr. Epistol. I, 9. Tertull. Apolog. 39. Schol. Platon. p. 202 ed. Ruhnk.

3) Bibl. Coisl. 608: *Διὰ φρατόρων κύων· ἐπὶ τῶν ὅπου μὴ δεῖ εὑρισκομένων καὶ διὰ τοῦτο κολαζομένων, παρ' ὅσον κύων εὑρεθεὶς ἐν φράτορσιν ἐμαστιγοῦτο.*

Secundo die, ut vidimus, sacra obtinebant Jovi Phratrio et Minervae, apud Athenienses, ut videtur, Baccho quoque Melanaegidi, a quibus sacrificiis, *ἀπὸ τοῦ ἄνω ἐρύειν τὰ ἱερεῖα*, prouti in cultu deorum superorum fieri solebat [1]), ipse dies nomen habebat. Quod sacrificium publicis sumtibus fuisse peractum, vel ex ipso Scholiastae dicto, *ἑορτὴ δημοτελής* patet et antiquorum festorum naturae est conveniens, licet ceteroquin et singularum phratriarum memoretur arca [2]). Viscerationem porro et omnium civium epulum in eo obtinuisse probabile est [3]).

Tertio autem die, maxime memorabili et qui plurimas praebet difficultates, solemnis puerorum et puellarum curialibus habebatur oblatio eorumque in albis inscriptio. Hoc enim imprimis *φρατριῶν* erat proprium, hoc maxime vim eis tribuebat politicam, tum in rebus sacris tum in privatis, ut curam gererent juris civitatis, et ne quis nisi ex justo matrimonio parentibus civibus qui connubium haberent procreatus, in eas induceretur. Quam *φρατριῶν* naturam pluribus Platnerus, Meierus et reliqui ab Hermanno [4]) laudati auctores descripserunt, quare ne actum agere videamur, hos de universa hac re lectorem ut adeat rogabimus.

De hoc autem jure civitatis ut rite constaret, debebant liberi ex justis nuptiis procreati, mares et

---

1) De ipso vocabulo vid. docte disputans Collega amicissimus Elink Sterk in Symbol. Liter. V. VIII, p. 44 sqq.

2) Theophrast. Charact. XI, 5.

3) Simplic. ad Aristot. Physic. IV, p. 167 a. Cf. Meier, l. l. p. 13.

4) Lehrbuch der griech. Staatsalterth. p. 220. Cff. quae ipse hac de re afferre sum conatus in Dissert. Jurid. de feminarum Atheniens. conditione civili sec. Juris Attici principia, p. 36 sq. et 56 sqq.

feminae, vel intra annum vel certe ante tertium quartumve aetatis annum [1]) a patribus, sive his defunctis vel absentibus, a proximis agnatis, *κυρίοις* denique suis, in quorum potestate erant, in phratriam paternam introduci, ut nempe ita quod antiqui vocant *ἱερῶν καὶ ὁσίων ἀγχιστείας* participes fierent, quae quid fuerit ex juris Attici principiis, pluribus in Dissert. laud. p. 56 sqq. explicare sum conatus. Verbo hic monuisse sufficiat, eam ad cognationis et successionis in bona agnatorum et curialium sacrorum jura potissimum pertinuisse, et ita in omni jure civili et sacro plurimi fuisse momenti. Quem enim non ita more solemni introduxisset pater vel *κύριος*, eum spurium judicasse videbatur, quare apud Oratores atticos plurima ex hac in phratrias introductione genuitatis documenta petita videmus [2]) et festive Aristophanes ludit

'Αρχέδημον,
ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας [3]).

Pater adeo si dolo malo legitimos liberos introducere nollet, ab his vel eorum nomine a cognatorum aliquo eo cogi potuit, ut ex memorabili exemplo Andocidis de Myster. p. 62 patet.

---

1) Proclus ad Platon. Timaeum, l. l. Etymol. M. v. 'Απατούρια.
2) Vidd. e. g. Isaeus, de Pyrrhi heredit. p. 40, 61 sq. 66, 68, de Philoct. heredit. p. 125, 136 sq. 157, de Apoll. hered. p. 168 sqq. 177 sq. 190, de Cir. hered. 208 sq. de Astyph. hered. p. 234, de Aristarch. hered. p. 258, 262, 265. Demosthen. adv. Boeot. I, p. 995, 1000 et 1003. II, p. 1011. adv. Macart. 1053 sq. 1061, 1069, 1078; adv. Leochar. 1092 sq. adv. Eubulid. tota fere oratio; adv. Neaer. p. 1349, 1358, 1364 sqq. 1385 sq. Lys. adv. Nicom. p. 837. Andocid. de Myster. p. 62. Isocrat. de Symmor. p. 281 cet.
3) Ran. 417.

Haec autem in Phratrias introductio, ut fere omnia quae ad civitatem pertinebant, cum re sacra arctissime erat conjuncta, atque apud Athenienses, et ut videtur apud omnes Iones, in Apaturiis fiebat. Apud Athenienses quidem tertio eorum die, qui ab ipsa *κούρων* introductione eorumque *κουρᾷ* *κουρεῶτις* dicebatur; nisi forte extra ordinem oborta necessitate, in Thargeliis fieret, quod a curialibus convocatis erat dijudicandum. Quod enim antea statuebatur, adoptorum introductionem semper in Thargeliis locum habuisse, unico Isaei loco de Apollod. hered. p. 169 nititur, in quo tamen ipso *φύσει γεγονότες* aeque ac *ποιητοὶ* memorantur, et iisdem solemnitatibus obnoxii dicuntur.

Hac igitur extra ordinem introductione, sive in Thargeliis, sive in alio fortasse praeterea festo excepta, Cureotide die in sua sacella conveniebant curiales et afferebantur qui eo anno vel proximis annis sive curialibus nati erant infantes, sive ab aliquo eorum adoptati. Adducebantur praeterea hostiae, *ὄϊς φρατήρ*, *αἴξ φράτωρ*, *κουρεῖα* solemni vocabulo dictae [1]), singulorum nomine diis curialibus, Jovi imprimis phratrio mactandae: quae *μεῖα* praeterea dicebantur, cujus vocabuli variae a veteribus jam grammaticis traduntur explicationes [2]). *Μειαγωγός* is dicebatur, qui hostiam

1) Etym. M. v. Lexic. Rhetor. v. Pollux VIII, 107. In adultis saltem, quamquam haec interdum confunduntur. Cf. Hermann in Zeitschr. für die Alterthumsw. Ai. 1835, p. 1140 sq.

2) Harpocrat. v. *μεῖον καὶ μειαγωγός* — — *Ἐρατοσθένης δ' ἐν τοῖς περὶ κωμῳδίας φησὶν οὕτως· νόμου ὄντος μὴ μεῖον εἰσάγειν ὡρισμένου τινός, ἐπισκώπτοντες μετὰ παιδιᾶς πάντα τὸν εἰσάγοντα, μεῖον ἔφασαν εἰσάγειν, ὅθεν τὰ μὲν ἱερεῖα μεῖον προσηγορεύθη, μειαγωγὸς δὲ ὁ εἰσάγων κ. τ. λ.* Cff. Schol. Aristoph. Ran. 798, ibique Dind. Pollux III, 52. Suid. et Phot. v. *μεῖον*, et reliqui auctt. apud Hermann, Staatsalterth. p. 222, qui a *μεὶς* = *μὴν* haec sacrificia fortasse esse dicta suspicatur.

et infantem offerebat, ipse autem actus *μειαγωγεῖν*, unde lepidissime Aristoph. Ran. 797 de certamine tragoediae Aeschylum inter atque Euripidem:

καὶ γὰρ ταλάντῳ μουσικὴ σταθμήσεται.
Ξ. τί δέ; μειαγωγήσουσι τὴν τραγῳδίαν;

Si quis autem solemnem introductionem prohibere vellet, antequam hostia, a sacerdote curiae, ut videtur, mactaretur, debebat victimam ab ara abducere et simul causas quare id faceret, exponere, quae a cunctis curialibus examinabantur, et si jure obstitisse videbatur, abducebatur victima ab ara, *ἀπενέχθη τὸ κουρεῖον* 1): sin vero minus, pater vel *κύριος* solemne praestabat jusjurandum, eum quem introduceret, esse legitimis nuptiis ex patre et matre civibus procreatum; et curiales, *καιομένων τῶν ἱερείων*, calculis e Jovis Phratrii ara desumtis, in tacita mittebantur suffragia. Quorum si major pars infanti recipiendo faveret, statim a *φρατριάρχῳ*, curialium praefecto 2), in eorum album, *κοινὸν*, sive *φρατορικὸν γραμματεῖον*, et ipsius et patris nomen inscribebatur; ipse autem actus *εἰς φράτορας εἰςάγειν* dicebatur 3).

---

1) Demosthen. adv. Macartat. p. 1078. Isaeus, de Philoctem. hered. p. 135 sq. Apud Isaeum sermo est de filio ex matre non cive procreato, quem postea certis conditionibus, *ἐπὶ ῥητοῖς*, quae legitimis heredibus sua jura sancirent, consentientibus curialibus introducere licebat. Praeclare autem a Valcken. apud Luzac. Lectt. Attic. p. 58 in iis quae p. 136 sequuntur, pro insano *χωρίον ἐνδόντα*, *κουρίον* vel *κουρεῖον* corrigitur: mallem tamen pro *ἐνδόντα* quoque *ἐπιδόντα*, quae vox hac in re est solemnis. Cff. Harpocrat. v. *μεῖον·* — — *μειαγωγῆσαι δὲ ἔστιν τὸ ἐπιδοῦναι τοῖς φράτορσι τὸ μεῖον*, Pollux III, 52. Hesych. v. *οἰνιστήρια*.

2) Harpocrat. v. *φρατέρες*. Suid. v. *φράτορες* (utrumque enim invenitur: Cf. Meier, l. l. p. 11) Demosth. adv. Eubul. p. 1305.

3) De singulis his vidd. loca supra p. 25, Nota 2 allata, et cff. praeterea auctores quos attulit Hermann, l. l. p. 221 sq.

Eadem solemnia cum *δοκιμασίᾳ* adolescentium, ubi ad *ἡλικίαν* pervenissent, conjuncta, tertio hoc Apaturiorum die obtinuisse videntur. Quod licet neget Meierus, l. l. p. 17, ob disertum tamen Pollucis testimonium VIII, 107: *εἰς τούτους (τοὺς φράτορας) τούς τε κόρους καὶ τὰς κόρας εἰσῆγον. καὶ εἰς ἡλικίαν παρελθόντων, ἐν τῇ καλουμένῃ κουρεώτιδι ἡμέρᾳ ὑπὲρ μὲν τῶν ἀρρένων τὸ κούριον ἔθυον, ὑπὲρ δὲ τῶν θηλειῶν τὴν γαμηλίαν:* cf. Hesych. v. *οἰνιστήρια*, et verba Aristoph. Vesp. 578:

παίδων τοίνυν δοκιμαζομένων αἰδοῖα πάρεστι θεᾶσθαι,

ad quem locum Aristotel. corruptus licet apud Schol. *ὅτι ψήφῳ οἱ ἐγγραφόμενοι δοκιμάζονται οἱ νεώτεροι μὴ ἐτῶν ιη' εἶεν* — ob haec igitur diserta testimonia et reliquam phratriarum naturam cum Boeckhio, Platnero et Hermanno [1]), rem revera ita sese habuisse putamus. In hunc enim finem ea instituenda fuisse videtur, ut adultus eorum jurium fieret particeps, quae etiam in phratriarum institutione magis politicam habebant naturam. Phratriae enim nonnunquam cognoscendi vel adeo statuta condendi jus habebant [2]), ad quae omnia exercenda haec *δοκιμασία* requisita fuisse videtur.

Certius tamen constat, eadem ratione uxores recens nuptas in maritorum phratrias fuisse introductas, earumque nomine *τὴν γαμηλίαν* a maritis fuisse oblatam, quo in sacrorum mariti communionem uxor transibat [3]),

1) Vidd. Boeckh. in Ind. Lectt. Berol. aest. Ai. 1819, p. 4. Platner, l. l. p. 147. Hermann, l. l. p. 221 et quos porro citat, 223, Na. 14.

2) Cff. auctt. in Dissert. mea laud. p. 59.

3) Dicaearch. apud Stephan. de urb. v. *πάτρα* — — *ἐπειδή τινες εἰς ἑτέραν πάτραν (φράτραν) ἐδίδοσαν θυγατέρας ἑαυτῶν· οὐ γὰρ ἔτι τῶν πατριωτικῶν ἱερῶν εἶχε κοινωνίαν ἡ δοθεῖσα, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ λαβόντος αὐτὴν συνετέ-*

quare jure hoc institutum cum Romanorum conventione in manum per confarreationem composuit Platner p. 153; et haec uxoris in mariti phratriam introductio non minus quam puerorum, legitimarum nuptiarum habebatur documentum [1]). Qua in re licet nonnulla remaneant obscura et res diversae a Lexicographis maxime confundantur [2]), vel sic tamen universe rem ita sese habuisse satis constat.

Sequebantur autem haec omnia visceratio et vini phratoribus largitio, οἰνιστήρια dicta [3]), in qua cuique sua portio, carnium maxime, donabatur [4]), quae omnia summa cum laetitia, saltu, similibus fuisse conjuncta, vel ex loco Alciphr. Epist. III, 46 intelligitur, et inter coenam pueri, quos secum patres adducebant, praemiis ῥαψῳδίας propositis, carmina recitare solebant [5]). Eodem porro die certamen habebatur equestre [6]), cum aliquo praeterea Apaturiorum die Athenienses splendidissimis indutos vestibus, faces ardentes a foco sumentes, carminibus Vulcanum celebrasse, et ita λαμπαδοφορίαν, ut videtur, instituisse auctor sit Istrus apud Harpocrat. v. λαμπάς [7]).

λει πάτραν. Cff. Wachsmuth, Hellen. Alterth. ed. 2da, V. I, 800, et Fuhr, Dicaearchi fragm. p. 112 sqq.

1) Demosth. adv. Eubul. 1312, 1320. Isaeus de Pyrrhi heredit. p. 62, 65, 66. de Cir. hered. p. 208. Cff. quos citat Hermann, l. l. p. 221, Na. 1.

2) Cff. Platner, l. l. p. 147. Wachsmuth, l. l. p. 365. Meier, p. 17 sq. Zeitschr. für Alterthumsw. Ai. 1835, p. 1141. De reliquis opportunitate nuptiarum sacris et conviviis Cff. auctt. apud Becker, Charikl. V. II, p. 457 sqq.

3) Harpocr. et Hesych. v. οἰνιστ.

4) Demosth. adv. Macart. p. 1078. Aristoph. Thesmoph. 558.

5) Plato, Timaeo, p. 21 ibique Schol. et Procl.

6) Schol. Aristoph. Pac. 901.

7) Cf. Meier, l. l. p. 13.

DE CRONIIS.

Philochorus Saturno et Opi [1]), primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit, eosque deos pro Jove terraque coluisse, instituisseque ut patres familiarum et frugibus et fructibus jam coactis passim cum servis vescerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant: delectari enim Deum honore servorum contemplatu laboris.

Haec verba Macrobii Saturn. I, 10 originem et naturam harum feriarum breviter nobis exponunt, quibus accedunt L. Accii in annalibus versus apud eundem, Cap. 7:

Maxima pars Grajum Saturno et maxime Athenae
Conficiunt sacra, quae Cronia esse iterantur ab illis;
Cumque diem celebrant per agros urbesque fere omnes
Exercent epulas laeti, famulosque procurant
Quisque suos; nostrique itidem; et mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Cavendum tamen inde ab initio ne Saturnalia Romana

---

1) Cff. verba Suidae v. Κρόνια, Pausan. I, 18, 7, Dionys. Hal. Ant. Rom. III, 129.

cum Graecorum Croniis confundamus, quare posteriorum, Romanorum imprimis hac de re testimonia caute sunt adhibenda, e. g. Luciani Saturnalia et Cronosolon, in quibus quid ad Graecorum Cronia, quid contra ad Romanorum Saturnalia pertineat, dijudicare, saepe est difficillimum negotium. Hoc autem universe de utriusque populi feriis statuendum videtur, et Cronia et Saturnalia eandem originem eandemque habuisse naturam, licet Saturnalia Romana majore studio, majore item religione et per plures dies quam Graecorum Cronia fuerint celebrata.

Agebantur autem hi dies festi Athenis quotannis mensis Hecatombaeonis, qui antea ab ipsis his feriis *Κρονιών* dicebatur [1]), die duodecimo [2]); per quot vero dies non constat. Secundus dies eorum otiosus et mero abundans occurrit apud Plutarch. de Music. Cap. 2, a quo tamen utrum Graecum an vero Romanum respiciatur festum, dubites; per plures vero dies hae feriae actae fuisse videntur.

Summa laetitia, imo licentia hos dies festos fuisse celebratos, jam ex supra laudatis Accii verbis patet, quibus alia ipsorum antiquorum Graecorum accedunt testimonia, ne forte omnia haec ex Romanorum more desumta putes. *Κρόνια* enim apud Graecos, Athenienses saltem, *antiqua* quoque significant ut vel ex Aristoph. Nubib. vs. 397 ibique Schol. apparet [4]),

---

1) Etymol. M. v. Ἑκατομβαιών, Plutarch. Theseus, C. 12.

2) Demosth. adv. Timocrat. p. 708, 10 R. Aristoph. Nub. vs. 397 ibique Schol.

3) Septem saltem dies apud Lucian. Saturn. 2 ad Romanorum ferias manifesto pertinere videntur.

4) Cff. Alexis apud Athen. XV, 44. Anthippus apud eund. IX, 68 et III, 79.

unde notio hujus dei ejusque dierum festorum cum aureae cujusdam aetatis atque aequalitatis inter omnes homines est conjuncta. Ipsum Jovis regnum tum abrogatum putabatur et solus *Κρόνος* regnare, sub cujus regno nulli aderant servi, sed variae res, utensilia, animalia ultro homini serviebant: quae vitae felicitas festivissime ab antiquis comicis apud Athenaeum VI, 83, 94 sqq. et XIII, 44 describitur [1]. Quibus accedit Plutarchi testimonium [2], quod hoc loco eo magis fidem meretur, quia cum *Διονυσίοις κατ' ἀγρόν* conjuncta *Κρόνια*, Graecum festum intelligi declarant, quare locum apponere non dubito. *Καὶ γὰρ οἱ θεράποντες ὅταν Κρόνια δειπνῶσιν, ἢ Διονύσια κατ' ἀγρὸν ἄγωσι περιϊόντες, οὐκ ἂν αὐτῶν τὸν ὀλολυγμὸν ὑπομείναις καὶ τὸν θόρυβον, ὑπὸ χαρμονῆς καὶ ἀπειροκαλίας τοιαῦτα ποιούντων καὶ φθεγγομένων*, et qui porro sequuntur versus, e quibus non minus quam ex Comicis apud Athenaeum modo laudatis Croniorum patet licentia.

Haec igitur universe harum feriarum erat ratio: apud alias autem Graeciae tribus, alios, ut fit, earum invenimus ritus atque caeremonias. Sic apud Thebanos, antiquis saltem temporibus, certamen in iis habebatur musicum [3]: Cyrenenses cum rem divinam huic deo faciebant, ficis recentibus coronabantur, placentasque mutuo missitabant, mellis et fructuum inventorem Saturnum aestimantes [4]. Rhodi sexto die

---

1) Cff. eod. III, 79, 95. Luciani Saturn. init.
2) Non posse suav. vivi secund. Epicur. Cap. 16.
3) Plutarch. qui dicitur, de vita et poësi Homeri, Cap. 4.
4) Macrob. Saturn. I, 7. Cf. Lobeck, Aglaoph. V. II, p. 1070.

mensis Metageitnionis quotannis in Croniis, Porphyrii adhuc aetate, homo sacrificabatur, quod antiquis temporibus diu ita obtinuit, postea vero hunc in modum est mutatum, ut tum maleficum mortis condemnatum ad hoc adservarent et extra portas vino obrutum mactarent. 1)). Elide porro sacerdotes *Βασίλαι* dicti, tempore aequinoctii vernalis, quod apud eos est mense *'Ελαφίῳ*, in cacumine montis Saturno sacri, huic deo sacrificia peragebant 2)). Apud Thessalos similes agebantur dies festi, qui ab ipsis repetuntur Pelasgis, *Πελώρια* dicti, quorum originem et rationem, prorsus Croniis convenientem, refert Bato apud Athenaeum XIV, 45, *τὴν τῶν Σατουρναλίων ἑορτὴν 'Ελληνικωτάτην* vocans 3)). Perinthi nomen mensis *Κρονιών*, et illic *Κρόνια* fuisse celebrata indicare videtur 4)). De reliquis sacris huic deo peractis ejusque cultu universo vid. Heffter, in Allgemeine Schulzeitung anni 1833, p. 225 sqq. et quos citat Hermannus, Lehrb. der Gottesdienstl. Alterth. p. 275, Nª. 8: nos autem plura de iis dicere ideo supersedere posse jure videmur, quoniam, quatenus ad ipsa Cronia, proprie ita dicta, pertineant, non constat; licet et ex Accii verbis initio laudatis, *Maxima pars Graium*, et ex Schol. Aristoph. Nub. 397 : *ἔστι δὲ Κρόνια παρὰ*

1) Porphyr. de Abstin. II, 54. In insula item Creta sacrificiis humanis hic deus colebatur. Cf. eod. Cap. 56.

2) Pausan. VI, 20, 1.

3) Cff. de similibus in aliis quoque feriis moribus ibid. Cap. 44, Eustath. ad Iliad. P, vs. 132, Vol. IV, p. 11, 22 ed. Lips. ibid. p. 14, 20, et Spalding in Abhandl. der Berlin. Akadem. 1804-11, p. 78 sq.

4) Excerpta ex Papia in Schneidew. Philol. Ai. 1847, II, p. 248 et 267.

τοῖς Ἕλλησιν ἑορτή, hos dies festos late per Graecos fuisse diffusos satis apparere videatur.

---

raecos





